

ter usq; ad metam, nec resiliendum. Ideò dicit: *Siquidem* permanetis scil. usq; ad finem, ut intelligant, si assumant aliud Evangelium præter id, quod per Apostolorum ministerium illis erat annunciatum, si recedant & deficient, id omne irritum fore, quod hætenus sint consecuti. Το Ἰπιμένειν enim istis omnibus opponitur. Idcirco scribit Apostolus alibi, tum demum nos Christi participes factos, si fiduciam & gloriam spei usq; ad finem firmam retinuerimus, *Ebr. III. 6.* Et Christus eos demum pronunciat salvos, qui ad finem usq; perseveraverint, *Matth. X. 22.* Hinc non vult dicere Apostolus, Christum non exhibere eos sanctos & irreprehensibiles, nisi permaneant in fide, sed nihil eis profuturum, quod Christus eos per lavacrum aquæ sanctos & mundos Deo Patri exhibuerit, nisi permaneant. Quod manifestum possibile fidei amissionis & excussionis contra Calvinianos testimonium.

§. 3. *In fide fundati & stabiles permanere debent.* Per fidem hic non intelligit Apostolus nudam fidem historicam, neq; nudam fidei professionem, sed fidem per caritatem vivam, ex v. 4. præced. Et qui hic dicit, in fide fundati; idem alibi dicit, in caritate radicati & fundati *Ephes. III. 17.* Hanc fidem pro fundamento servare & retinere debebant Colossenses, ne auscultent ad nova dogmata Simonis Magi aut Judaizantium. *Fundationis* fit mentio, Metaphorâ desumptâ ab ædificio, cujus fundamentum, si probè jactum est, non facile corrui, juxta illud *Matth. VII. 24. 25. Luc. VI. 48.* Deinde *firmi seu stabiles* jubenter esse, & desumitur iterum Metaphorâ ab iis, qui firmiter in sella sedent & non circumaguntur vento: sic stabiles esse debent, ne διδαχαῖς ποικίλαις καὶ ἑνάαις circumferantur. *Ebr. XIII. 8.* Notat autem Apostolus firmitatem fidei, non quam habent ab ipsis, sed à Christo primario fundamento, super quod superstructi erant *Eph. II, 20.*

§. 4. *Nec dimovemini à spe Evangelii.* Nondum cesat exhortatio, sed jubentur non tantum fundati & stabiles, sed & planè immobiles esse, quæ immobilitas plus infert, quam priores duæ subsistendi species. Non ergò vult Apostolus, ut Colossenses sint temporarii, qui, quum fide non sint fundati, nec